



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Verior sententia has duas emanationes sola oppositione, quam habent
ratione adiuncti realiter distingui. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

*Tertia Scoti
& aliorum
sententia.
Bonavent.*

Sententia autem Scoti eo loco est, emanationes distinguere se totis, aut se ipsis primo, quod idem est. Desumpisse autem videtur eam ex Bonaventura, id ead. dist. q. 5. quos sequitur Gabriel quass. unica art. conclus. 3. distinguere vero se ipsis totis nihil aliud est, quam ita esse omnino distinctas, ut nihil habeant, in quo conveniant: qua ratione species sub eodem genere constitutæ non differunt: specierum autem differentia ut rationale, & irrationale, & generalissima prædicamentorum, hoc modo distinguuntur. Talis igitur natura putat esse Scotus has duas origines, & se ipsis suapte natura distinctas, ut etiam si una aliam non supponeret, nec ei aliquo modo ratione saltem coniunctæ relationis opponeretur, nihilominus essent diuersæ. Nam sicut de relationibus dixit suapte natura absque ulla oppositione. solum quia disparatæ sunt, invicem distinguuntur; eodem modo de processionebus philosophandum esse existimavit.

Durand.

Demum Durand. huic sententiæ Scoti consentit in 1. dist. 13. qu. 2. nu. 32. & sequent. cum asserit, has duas processiones se ipsis distinguere, non ratione oppositionis; sed quia disparatæ & suapte natura diuersæ sunt. Nam quamvis ille in 1. dist. 11. qu. 2. doceat, si Spiritus sanctus non procederet à filio, non distinguendum ab eo secundum suppositum nihilominus ibidem concedit, futuras tunc in eadem persona duas relationes realiter distinctas, sicut nunc eas in patre, & filio etiam concedit in 1. dist. 13. qu. 2. n. 14. eo quod, ut aliqua distinguantur in Deo supposito, necessariam existimat oppositionem relativam, ut vidimus disput. præcedenti capit. 4. idque probat à simili: quia in patre sunt duæ relationes disparatæ, cum tamen sit unum tantum suppositum: ut autem duæ relationem distinguatur realiter, satis putat, si sint disparatæ, & ad diuersa referantur, ut numero illo 14. & sequentibus latius persequitur. Sic ergo de passivis emanationibus eadem proportionem philosophatur Durandus, nimirum se ipsis hoc solo, quod spiratæ sunt, realiter distinguuntur: hanc tamen distinctionem, inquit, sufficientem non fore, ut essent processiones, seu emanationes personarum, hoc est diuersorum suppositorum, nisi ratione adiuncti opponerentur. Nam in eius sententia, ut proxime dicebamus, si Spiritus sanctus non procederet à filio, ab illo non distingueretur personaliter: atque adeo eius emanatio non esset alia emanatio personalis ab emanatione filii.

CAPVT II.

Verior sententia: Ha duæ emanationes sola oppositione, quam habent ratione adiuncti, realiter distinguuntur.

*5.
S. Thom.*

Multo verior est opinio sancti Thomae qu. 10. de potentia articulo 2. qui eodem modo de processionebus philosophatur, atque de relationibus: nimirum sola oppositione relativa distinguere posse, vel quia directe secundum se relative opponuntur, vel quia ratione adiuncti hanc habent oppositionem. Omnis namque emanatio, cum sit relatio in fieri, ad aliud quodammodo est, sicut relatio in facto esse. Huius tamen rei explicandæ gratia notandum est, has processiones posse bifariam sumi; primum ut sunt à parte rei, & hoc modo se ipsis distinguuntur: hoc est, non est in illis aliquid distinctum ab alio ex natura rei, quo conveniant, & aliud, quo distinguantur: nihilomi-

nus re ipsa opponuntur se ipsis: quia idem omnino est generatio passiva cum spiratione, quæ realiter opponitur processionibus. Deinde sumi possunt hæ duæ emanationes, ut sunt in nostro intellectu, & hac ratione, quia generatio passiva distinguitur à spiratione cogitatione nostra: ideo non differt se tota à processione: ab hac enim distinguitur ratione spirationis actiue, cui coniungitur: semper tamen verum est, sola oppositione has emanationes distinguere: non quia formaliter, ut sunt passivæ emanationes, opponuntur; sed quia generatio passiva coniunctam habet spirationem actiuam eodem modo, quo supra diximus filiationem à processione distinguere, quia coniuncta est spirationi, ratione cuius opponitur illi. Nam sicut persona, quæ generatur, necessitate debet distinguere à persona procedente; quia quæ generatur, est principium spirandi personam procedentem; & impossibile est, principium spirans non distinguere ab eo, quod procedit ab ipso: etiam necesse est, generationem, qua hoc principium spirans generatur, realiter distinguere à processione, quia procedit id, quod ab eo spiratur. Ad idem dicit Caiet. supra quass. 27. artic. 4. emanationes non distinguere se ipsis totaliter, hoc est, se ipsis totis, quia conveniunt in quadam ratione communis immaterialis: distinguuntur autem oppositione singulari. Hoc tamen mihi non probatur: quia non conveniunt in aliquo uniuoco conceptu præciso, ut disp. 158. cap. 7. dicemus; & ratio immaterialis includitur in ratione singulari cuiusque: distinguuntur igitur sicut prædicamenta se totis. Nam licet prædicamenta includant rationem communem entis; quia tamen ea analogica est, & in modis intrinsecis includitur non obicit quo minus generalissima se totis distinguantur. Verum est ex alia parte has emanationes non distinguere se totis, ut supra vidimus: quia altera oppositionem habet ratione adiuncti non ratione sui.

Ex dictis sequitur, has processiones distinguere ordine prioris, & posterioris secundum originem: quia una aliam supponit. Cum enim generatio passiva terminetur ad personam genitam, & hac ordine originis prior sit persona procedente, ut disputat. 167. dicemus, eadem ratione origo filij ordine suo prior est origo Spiritus sancti. Quocirca verissimum est id, quod docuit S. Tho. quass. illa 10. de potentia artic. 2. ad 7. ideo nimirum emanationes distinguere, quia una est ab una, & altera à duobus: hanc enim sequitur, eam, quæ est à duobus, esse ordine suo posteriorem; quia supponit personam precedentem per priorem emanationem, ut ita à duobus procedat.

Sed impugnatur Scotus S. Thomam hac ratione. Si ita verum esset, sequeretur, posse esse tertiam emanationem, quæ esset à tribus, & quartam, quæ esset à quatuor personis, Verum frivolum est Scoti argumentum: nec enim Doctor sanctus inde probat, duas tantum esse emanationes in Deo, quia una est ab uno, altera vero à duobus: oppositis: sed numerum emanationum deducit in hac 1. p. 27. a. 5. ex numero operationum, quæ tantum sunt duæ altera per intellectum; altera per voluntatem, & plures specie distinctæ esse non possunt in natura rationali. Cur vero una persona non possit procedere, sicut alia, saltem operatione, & productione numero distincta à priori probat qu. 41. art. 6. hoc vero supposito, quod in Deo sunt tantum

tantum duæ emanationes, & duæ personæ produ-
ctæ; & recte addit S. Thomas hac solatione di-
stingui posse inter se: quia scilicet vna est ab vno
supposito, altera à duobus: sic enim oppositio-
nem, & ordinem inter sese habere necesse est.

ARTICVLVS III.

*Vtrum Spiritus sanctus procedat à patre
per Filium.*

AD tertium sic proceditur. Vide-
tur, quod Spiritus sanctus non
procedit à Patre per Filium.
Quod enim procedit ab aliquo per ali-
quem, non procedit ab eo immedia-
te. Si igitur Spiritus sanctus procedit à
Patre per Filium, non procedit à patre
immediate. Quod videtur inconue-
niens.

2. Præterea. Si Spiritus sanctus proce-
dit à Patre per Filium, non procedit à fi-
lii nisi propter patrem. Sed propter quod
vnum quodque & illud magis. Ergo ma-
gis procedit à patre quàm à filio.

3. Præterea. Filius habet esse per ge-
nerationem: si igitur Spiritus sanctus est à
patre per filium, sequitur quod prius ge-
neretur filius, & postea procedat Spiritus
sanctus. Et sic processio Spiritus sancti
non est æterna: quod est hæreticum.

4. Præterea. Cum aliquis dicitur per
aliquem operari, potest è conuerso dici.
Sicut enim dicimus quod rex operatur
per Balliū, ita potest dici quod Balliū
operatur per regem. Sed nullo modo di-
cimus quod Filius spirat Spiritum san-
ctum per patrem: ergo nullo modo potest
dici quod pater spirat Spiritum sanctum
per filium.

Sed contra est quod Hilarius dicit in
libro de Trinitate. Conserua hanc, oro,
fidei meæ religionem, vt semper obti-
neam Patrem, scilicet te: & Filium tuum
vna tecum adorem, & Spiritum sanctum
tuum, qui est per vnigenitum tuum pro-
merear.

Respondeo dicendum, quod in omni-
bus locutionibus, in quibus dicitur ali-
quis per aliquem operari, hæc præpositio,
Per, designat in causali aliquam causam,
seu principium illius actus. Sed cum actio
sit media inter faciens & factum, quan-
doque illud causale cui adiungitur hæc
præpositio, per, est causa actionis, secun-
dum quod exit ab agente: & tunc est cau-
sa agentis quod agat, siue sit causa finalis,
siue formalis, siue effectiua, vel motiua.
Finalis quidem, vt si dicamus quod arti-
fex operatur per cupiditatem lucri. For-
malis vero, vt si dicamus quod operatur

Vasquez in 1. p. Tom. 11.

per artem suam. Motiua vero, si dicamus
quod operatur per imperium alterius.
Quandoque vero dictio causalis cui ad-
iungitur hæc præpositio, per, est causa
actionis, secundum quod terminatur ad
factum: vt cum dicamus artifex operatur
per martellum: non enim significatur,
quod martellus sit causa artificis quod
agat, sed quod sit causa artificiato vt ab
artifice procedat, & quod hoc ipsum ha-
beat ab artifice. Et hoc est quod quidam
dicunt, quod hæc præpositio, per, quan-
doque notat authoritatem in recto: vt
cum dicitur, Rex operatur per Balliū.
Quandoque autem in obliquo, vt cum di-
citur, Balliū operatur per Regem. Quia
igitur filius habet à patre, quod ab eo pro-
cedat Spiritus sanctus, potest dici quod
Pater per Filium spirat Spiritum sanctum,
vel quod Spiritus sanctus procedat à Pa-
tre per Filium: quod idem est.

Ad primum ergo dicendum, quod in
qualibet actione est duo considerare, sci-
licet suppositum agens, & virtutem qua
agit, sicut ignis calefacit calore. Si igitur
in Patre & Filio consideretur virtus qua
spirant Spiritum sanctum, non cadit ibi ali-
quod medium: quia hæc virtus est vna &
eadem. Si autem considerentur ipsæ per-
sonæ spirantes, sic cum Spiritus sanctus
communiter procedat à Patre, & Filio, in-
uenitur Spiritus sanctus immediate à Pa-
tre procedere, in quantum est ab eo, &
mediate in quantum est à Filio. Et sic dici-
tur procedere à Patre per Filium. Sicut
etiam Abel processit immediate ab Adam,
in quantum Adam fuit Pater eius, & me-
diate, in quantum Eva fuit mater eius, quæ
processit ab Adam: Licet hoc exemplum
materialis processionis ineptum videatur
ad significandam immaterialem proces-
sionem diuinarum personarum.

Ad secundum dicendum, quod si Filius
acciperet à Patre alia virtutem numero
ad spirandum Spiritum sanctum, seque-
retur quod esset sicut causa secunda &
instrumentalis: & sic magis procederet à
Patre quàm à Filio. Sed vna & eadem
numero virtus spiratiua est in Patre &
Filio: & ideo æqualiter procedit ab vtro-
que. Licet aliquando dicatur secundum
prædictam habitudinem principaliter,
vel proprie procedere de patre, propter
hoc quod filius habet hanc virtutem à
Patre.

Ad tertium dicendum, quod sicut ge-
neratio Filij est coæterna generati (vnde
non prius fuit Pater, quam gigneret Fi-
liū) ita processio Spiritus sancti est coæt-
terna suo principio. Vnde non fuit prius

T 3 filius

filius genitus, quam Spiritus sanctus procederet: sed utrumque æternum est.

Ad quartum dicendum, quod cum aliquis dicitur per aliquid operari, non semper recipitur conuersio. Non enim dicimus quod martellus operetur per fabrum, dicimus autem quod Balliuus operatur per regem. Quia Balliuus est agere, cum sit dominus sui actus: Martelli autem non est agere, sed solum agi: unde non designatur nisi ut instrumentum. Dicitur autem Balliuus operari per Regem: quamvis hæc præpositio, per, denotet medium: quia quanto suppositum est prius in agendo, tanto virtus eius est immediatior effectui: quia virtus causæ primæ coniungit causam secundam suo effectui. Unde & prima principia dicuntur immediata in demonstrationis scientiis. Sic igitur in quantum Balliuus est medium secundum ordinem suppositorum agentium dicitur Rex operari per Balliuum, secundum ordinem vero virtutum dicitur Balliuus operari per Regem: quia virtus Regis facit quod actio Balliui consequatur effectum. Ordo autem non attenditur inter Patrem & Filium quantum ad virtutem, sed solum quantum ad supposita: & ideo dicitur quod pater spirat per filium, & non e conuerso.

Notationes circa articulum.

Conclusio est affirmans, & ex præcedentibus satis nota. Quid autem senserint patres Græci, & quare nonnulli ea particula, per, potius vti fuerint quam particula, ex, aut; à diff. 146. cap. 6. dictum est: nunc vero pauca supertunt notanda circa doctrinam huius articuli.

Et primum circa solutionem secundi videndum est, an Spiritus sanctus procedere dicatur à patre principaliter, aut principalius, quam à filio. n. Thom. in ea solutione, Bonaventura in 1. distinctione 12. questione 2. Durandus, questione 2. Scotus questione 2. Gabriel questione 3. & Marfil. in 1. questione 15. artic. 2. conclusionem 2. & sequentibus docent Spiritum sanctum ab utroque æque perfecte, & eodem modo procedere, si processio referatur ad virtutem spirandi, hoc est, ex parte virtutis æque perfecte Spiritum sanctum ab utroque procedere, eo quod vna. & eadem omnino sit in utroque: si tamen comparetur cum suppositis producentibus non procedere eodem modo, & (ut ipsi loquuntur) vniformiter, eo quod pater à seipso habens virtutem spirandi, à seipso spirat: filius autem à patre, à quo habet eam virtutem communicatam. Et ob hanc rationem Bonaventura, & Marfil. concedunt, Spiritum sanctum principaliter à patre procedere: imo addit Bonaventura spiritum à filio procedere principaliter; à patre vero principaliter. Ex quo patet, non usurpasse pro eodem, principaliter, & principaliter. Eodem modo loquendi adverbio illo comparatio virtutis Durandus.

9.
An Spiritus
sanctus dica-
tur principa-
liter à patre
procedere
quam à Filio
S. Thomas,
Bonavent.
Durand.
Scotus,
Gabriel.

Melius tamen S. Thom. & Gabriel solum concedunt principaliter à patre procedere, adverbio, ro comparatio non videntur. Eodem modo loquendi virtutis August. 5. de Trinitate cap. 16. eo quod pater à se habeat virtutem illam; at filius habeat à patre. Eodem spectat modus loquendi Hieronymus in Epistol. 88. ubi ait, Spiritum sanctum proprie procedere à patre; proprie ait, quia propria virtute spirat, hoc est à se; filius autem virtute ab alio communicata: quem etiam modum loquendi probat Sanctus Thomas in illa solutione. Ad. 1. uerbum tamen comparationis suspitione non caret: significare namque videtur maiorem perfectionem principij; & ideo melius est, ab eo abstinere. Refert etiam Scotus sententiam cuiusdam Theologi, qui eo reprehendebat Bonaventuram, quod adverbio comparatio videretur inter patrem & filium; cum tamen filio non conueniret positum illius, scilicet spirare principaliter; hoc est à se: comparatio autem fieri debet inter ea, quæ eandem formam participant.

Deinde nota, nullum esse ordinem originis inter patrem & filium in actu spirandi hoc est, vnum non prius alio spirare. Sic Scotus, Marfil. & Gabriel, locis supra citatis simpliciter concedit tamen videantur etiam docere, quodammodo hunc ordinem in spirando concedi posse. Ergo nullum huiusmodi ordinem esse inter eas personas in actu spirandi, inde colligitur, quia in eo, in quo est ordo originis inter aliqua, debet esse prioritas, hæc autem non est in actu spirandi, sed in habendo virtutem spirandam; nam licet sit eadem in utroque, ea tamen prius origine est in vno, quam in alio: at vero dum eam verque habet, simul spirat: spirare autem à se, aut spirare ab alio, cum solum denotet habere à se virtutem spirandi, vel ab alio; solum significat ordinem originis in habendo virtutem, non in spirando: siquidem ipsa spiratio, quæ est origo, ordinem constituit inter spirantem, & spiratum: simul tamen est: ab utroque eadem virtute secundo.

ARTICVLVS IV.

Utrum Pater & Filius sint vnum principium Spiritus sancti.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Pater Filius non sint vnum principium Spiritus sancti. Quia Spiritus sanctus non videtur à Patre & Filio procedere in quantum sunt vnum: neque in natura, quia Spiritus sanctus sic etiam procederet à seipso, quia est vnum cum eis in natura. Neque etiam in quantum sunt vnum in aliqua proprietate: quia vna proprietates non potest esse duorum suppositorum, ut videtur. Ergo Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, ut sunt plures. Non ergo Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti.

2. Præterea. Cum dicitur pater & filius sunt vnum principium Spiritus sancti non potest ibi designari vnitas personalis: quia

quia sic pater & filius essent vna persona. Neque etiam vnitas proprietatis. Quia si propter vnā proprietatem pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, pari ratione propter duas proprietates pater videtur esse duo principia filij & Spiritus sancti. Quod est in conueniens. Non ergo pater & filius sunt vnum principium Spiritus sancti.

3. Præterea. Filius non magis conuenit cum patre quam Spiritus sanctus: sed Spiritus sanctus & pater non sunt vnum principium respectu alicuius diuinæ personæ. Ergo neque pater & filius.

4. Præterea. Si pater & filius sunt vnū principium Spiritus sancti, aut vnū quod est pater, aut vnum quod non est pater. Sed neutrum est dare: quia si vnum quod est pater, sequitur quod filius sit pater. Si vnum quod non est pater, sequitur quod pater non est pater. Non ergo dicendum est, quod pater & filius sint vnum principium Spiritus sancti.

5. Præterea. Si Pater & filius sunt vnum principium Spiritus sancti, videtur ē conuersio dicendum, quod vnū principium Spiritus sancti sit pater & filius. Sed hæc videtur esse falsa. Quia hoc quod dico principium, oportet quod supponat vel pro persona patris, vel pro persona filij: & vtroque modo est falsa. Ergo etiam hæc est falsa: pater & filius sunt vnum principium Spiritus sancti.

6. Præterea. Vnum in substantia facit idem. Si igitur pater & filius sunt vnum principium Spiritus sancti, sequitur quod sint idem principium: sed hoc a multis negatur. Ergo non est concedendum quod Pater & filius sint vnum principium Spiritus sancti.

7. Præterea. Pater & Filius & Spiritus sanctus quia sunt vnum principium creaturæ, dicuntur esse vnus creator: sed Pater & filius non sunt vnus spirator, sed duo spiratores, vt a multis dicitur. Quod etiam consonat dictis Hilar. qui dicit in 1. de Trinit. quod Spiritus sanctus a patre & filio authoribus constitendus est. Ergo pater & filius non sunt vnum principium Spiritus sancti.

Sed contra est quod August. dicit in 5. de Trinitate quod pater & filius non sunt duo principia, sed vnum principium Spiritus sancti.

Respondeo dicendum, quod pater & filius in omnibus vnum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Vnde cum in hoc quod est esse

principium Spiritus sancti, non opponatur relatiue, sequitur quod pater & filius sunt vnum principium Spiritus sancti. Quidam tamen dicunt hanc esse impropriam, Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti. Quia cum hoc nomen, principium, singulariter acceptum non significet personam, sed proprietatem, dicunt, quod sumitur adiectiue. Et quia adiectiuum non determinatur per adiectiuum, non potest conuenienter dici, quod Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus sancti, nisi vnum intelligatur quali adverbialiter positum, vt sit sensus, Sunt vnum principium, id est, vno modo: Sed simili ratione posset dici Pater & duo principia filij & Spiritus sancti, id est, duobus modis. Dicendum est ergo quod licet hoc nomen, principium, significet proprietatem, tamen significat eam per modum substantiui: sicut hoc nomen, Pater & Filius etiam in rebus creatis. Vnde numerum accipit a forma significata, sicut & alia substantiua. Sicut igitur Pater & Filius sunt vnus Deus propter vnitatem formæ significatæ per hoc nomen, Deus, ita sunt vnum principium Spiritus sancti propter vnitatem proprietatis significatæ in hoc nomine, principium.

Ad primum ergo dicendum, quod si attendatur virtus spiratiua, Spiritus S. procedit a Patre & Filio in quantum sunt vnus in virtute spiratiua, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate, vt infra dicitur. Neque est inconueniens, vnā proprietatem esse in duobus suppositis, quorum est vna natura. Si vero considerentur supposita spirationis, sic Spiritus sanctus procedit a Patre & Filio vt sunt plures. Procedit enim ab eis vt amor vnitius duorum.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, & Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, designatur vna proprietates, quæ est forma significata per nomen: non tamen sequitur quod propter plures proprietates non possit dici pater plura principia, quia implicaretur pluralitas suppositorum.

Ad tertium dicendum, quod secundum relatiuas proprietates non attenditur in diuinis similitudo vel dissimilitudo, sed secundum essentiam. Vnde sicut Pater non est similior sibi quam Filio, ita nec Filius similior Patri quam Spiritus sanctus.

Ad quartum dicendum, quod hæc duo, scilicet Pater & Filius sunt vnum principium.

principium, quod est Pater, aut vnum principium, quod non est Pater, non sunt contradictorie opposita. Vnde non est necesse alterum eorum dare. Cum enim dicimus, pater & filius sunt vnum principium, hoc quod dico principium non habet determinatam suppositionem, imo confusam pro duabus personis simul. Vnde in processu est fallacia figuræ dictionis à confusa suppositione ad determinatam.

Ad quintum dicendum, quod hæc etiam est vera. Vnum principium Spiritus sancti est Pater & Filius: quia hoc quod dico principium, non supponit pro vna persona tantum, sed indistincte pro duabus, vt dictum est.

*In solutione
preced. ar-
gumenti.*

Ad sextum dicendum, quod conuenienter potest dici, quod Pater & Filius sunt idem principium secundum quod ly principium supponit confuse & indistincte pro duabus personis simul.

*In solutione
a. 1. argum.
huius art.*

Ad septimum dicendum, quod quidam dicunt quod Pater & Filius, licet sint vnum principium Spiritus sancti, sunt tamen duo spiratores propter distinctionem suppositorum, sicut etiam duo spirantes, quia actus referuntur ad supposita. Nec est eadem ratio de hoc nomine creator, quia Spiritus S. procedit à Patre & Filio, vt sunt duæ personæ distinctæ (vt dictum est) non autem creatura procedit à tribus personis vt sunt personæ distinctæ, sed vt sunt vnum in essentia. Sed videtur melius dicendum, quod quia spirans adiectiuum est spirator verò substantiuum, possumus dicere quod Pater & Filius sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter vnam spirationem. Nam adiectiua nomina habent numerum secundum supposita, substantiua vero à seipsis secundum formam significatam. Quod vero Hilar. dicit, quod Spiritus sanctus est à Patre & Filio authoribus, exponendum est, quod ponitur substantiuum pro adiectiuo.

*Loco citato
in argum.*

CONCLUSIO est affirmans.

DISPUTATIO CXLIX.

An pater, & Filius sint vnum principium Spiritus sancti.

Status Questionis, cap. 1.

Patrem, & Filium vere, & proprie dici vnum, non plura principia Spiritus sancti, verior sententia tradit, c. 2.

Respondetur argumentis Durandi, & Gregorii, c. 4.

CAPVT I.

Status Questionis.

*Scotus.
Durand.
Gabr.*

SCOTUS in 1. d. 12. q. 1. §. iuxta questionem, & Durand. in 1. d. 24. q. 2. & 3. & Gabr. in 1. d. 12. q. 1. in princip. existit.

mant posse esse questionē de re & de voce: de re quidē, an in Patre & Filio sit vna virtus spirādin quo sensu nulla est inter Catholicos dissensio. Nam omnes fateantur, vnam esse virtutem: nec vllus hæreticus fuit, qui duas esse affirmaret. Vt autem existente vna virtute in Patre, & Filio, debeant dici duo principia, an vnum, controuersum esse putarunt de voce prædicti Scholastici: quos acius reprehendit Canariensis super hunc art. in 2. par. commentarij, & temeritatis eos infimulat, quod dixerint, questionem hanc esse de nomine, quasi sit minoris momenti. Cum enim Concil. Florent. sess. vlt. in literis vniōis, & Lugdunens. vt refertur in c. *Fideli*, de summa Trinitate & fide Catholica in 6. definit, Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio, vt ab vno principio: non est res levis, & quæ parui pendenda sit.

Verum non est, quod tam seuerè hos authores infimulet Canariensis: nec enim illi putarūt questionem esse infructuosam, & nullius momenti: sed solum apud Catholicos de nomine, & modo loquendi dissensionem esse: quæ tamen in re tam ardua, & difficili plurimum refert, ne verbis inordinatis errorem adstruamus: cum tamen in re ipsa nulla sit controuersia, vt notatum est. Et sane in Concilijs citatis non solum de modo loquendi, sed etiam de re ipsa contra Græcos definitio tradita fuit. Cum enim Græci contra Latinos inferrent, Spiritum sanctum procedere à duobus principijs ingentis, & duplici virtute spirantibus, si ab vtroque procederet: vt ex Concilio Florent. passim apparet: definiunt Concilia, ab vtroque procedere vt ab vno principio, vt ostendunt, inde non sequi, quod Græci contra nos inferebant. Superest igitur nobis nunc controuersia de voce, vt trum dici possint Pater, & Filius duo, an potius vnum tantum principium Spiritus sancti.

CAPVT II.

Patrem, & Filium non posse dici vnum principium Spiritus sancti, senserunt Durandus, & Gregorius.

DURAND. in 1. d. 29. q. 2. & Greg. d. 12. q. 1. docent, Patrem, & Filium non posse dici vnum principium Spiritus sancti: id vero probant hac ratione. Aut principium fimitur pro forma agendi, aut pro ipso agente: vtroque enim modo viarum soler principium, nam & potentia generandi vocatur principium, & pater & mater dicuntur principia prolis: neutro autem modo dici possunt Pater, & Filius vnum principium. Etenim si imatur pro potentia seu communi notione, potius dicendum est, in Patre, & Filio esse vnum principium, quam, Pater, & Filius sunt vnum principium, quod si pro supposito vsurpetur, cum Pater, & Filius sint duo supposita, nequeunt appellari vnum principium: sic enim sensus esset Pater, & Filius sunt vna persona. Addit Durand. cum fræquentius nomen principium suppositum denotet, quæ potentiam ipsam: potius dicendum est, duo principia, quam vnum. Respondet autem Concilijs Lugdunens. & Florētin. deducta opera Concilii, Spiritum sanctum à Patre, & filio procedere, tanquam ab vno principio, non absolute, sed ab vno principio, sed addit particulam, tanquam, vt debent notarent Patrem, & Filium non tam debere dici vnum.